

ita acceptum, ex eo ostenditur, quia sponte datum est, & nullum extat caput unde traditio possit irritari. Si qua ergo lex pœnalis est circa simoniam, præsertim confidentialem, hic locum non habet, cum nequeat esse pœna, ubi culpa non est. Cap. *Sine culpa*, de regulis iuris num. 6. quod Nauarrus præsentem materiam applicat *Consilio 33. de simonia*. Et facit pro instituto præsentem casum, quem Zerola *ibidem* proponit de eo, qui permutavit Beneficium cum alio, quod permutans assererat valere in fructibus viginti aureis: & afficitur illi fructus annuos pro illis viginti, cum tamen realiter illud Beneficium non valeret viginti, quos ille ignorans percipit. In quo resoluit, simoniam à recipiente annuos redditus non committi; ignorantia autem cessante sufficere quod fiat compensatio pro rata, nisi sit modicum; iuxta Nauarrum *Consilio 13. de Rescriptis*. Vbi planè supponit sic esse permutationem factam, ut pro viginti aureis, quos valere in fructibus permutans assererat, compensatio æquivalens fieret: & similiter quod valore tali deficiente, minus resignanti tribueretur.

Casus specialis pro imento ex Zerola.

Affertio 3. Permutantem se in demnem servare posse ex casus alterius decisione ostenditur.

Nauarrus.

idem.

59 Dico tertio. Ex prædicta nuper ratione, quod scilicet permutans se in demnem servare possit, verosimile argumentum potest in causa præsentem institui, iuxta id, quod habet Nauarrus *Consilio 75. de simonia*, ubi casum huiusmodi ad quæstionem adducit. Resignans & Resignatarius convenientes ut exprimat valorem Beneficij esse 160. ducatorum, cum non sit nisi 100. ut pensio sexaginta ducatorum constituatur à Papa: quia si centum tantum esse dicatur, non poterit pensio obtineri, eo quod oporteat ut resignanti remaneant centum. Sicut cogitauerant, consecuti sunt, & Resignatarius ut haberet 40. non dubitavit 60. resignanti condonare, cum tamen simonia in eo esse videatur. Quam casus speciem cum præmississet, ita subdit: *Quæstio profecto quotidiana, & difficilis est: nam pro parte negante facit, quod in casu proposito videtur dari pro temporali, neque contra: ergo non committitur simonia*. Quod confirmat numer. 8. ex eo quod animus & intentio præfatorum non facit vendere aliquid, vel emere, neque dare vel recipere temporale pro spirituali, vel è contra. *Et actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. I. Non omnia D. Si certum peratur. Et I. Si quis nec causam D. de rebus creditis*. Addit autem numer. 18. præfatum mendacium non videri fuisse causam acquisitionis Beneficij principalem & immediatam, sed impellentem & remotam; causa enim principalis fuit, ne tantam iacturam resignans ex sua resignatione acciperet, & quadam sustentatio ei remaneret. Sic pro parte negante; cum tamen affirmantem tandem amplectatur, eo quod promissio præcesserit, quæ simoniacam resignationem efficit. Cap. *Quam piè 1. Quæst. 2. & Cap. Finali, de Pactis*. Sed certè cum difficilem adeò quæstionem dicat, & pro negante non levia argumenta conficiat, suamque resolutionem non pleno assensu, sed cum quadam trepidatione proponat, dum sic ait: *Non auferem excusare illum à simonia labe, ob argumenta pro parte affirmante formata: videtur tanè in opposita suum probabilitatis pondus excitare, ut non debeat simoniacæ resignatio censeri, neque lethali culpæ obnoxia reputari. Vbi illud*

specialiter aduertendum, quod de iactura dicitur: videtur enim res dura, ut permutare quis nequeat se in demnem servans, sed quod necessariò iacturam sit considerabilem in permutatione alteri commodà subiturus.

69 Sed difficultas specialis occurrit, de qua in casu contingentia dubitatur. Quidam Indorum Parochus cum alio tractatum permutationis instituit, & quia illius erat locupletius Beneficium, aliquid sibi superaddendum voluit, & præterea ut compermutans se obligaret ad emendam, quam habebat, suppellectilem, mensas, inquam, lectum, sellas, imagines, & vtilia alia: In quo quidem ob conscientiam negotium non fuit, qui hæretet, si pretia alias essent moderata. Idque ita factum, eo quod valde difficile esset præfata in alium locum asportari. Et iuxta communem Doctorum sententiam dicendum id minime licere, & esse simoniacam pactionem. Pro quo est auctoritas Innocentij Tertij in Cap. *Utrum nostrum*, Vnico, ut *Ecclesiastica Beneficia* &c. ubi sic ait: *Non licet ex pactione, vel conventionione quacumque, sub modo vel tenore prescripto concedere nudum officium, & tibi retinere prout: cum in Lateranensi Concilio prohibitum sit, ne quis conferendo Ecclesiasticum Beneficium partem proventuum suis vrbibus retinere presumat; & alibi cautum reperitur in Canone quod Ecclesiastica Beneficia sine diminutione debeant conferri*. Sic ille. Canon autem, quem citat, habetur in Cap. *Si quis Præbendam* 1. *Quæst. 3.* Et est Innocentij Secundi, sicque habet: *Si quis Præbendam, vel Prioratum, seu Decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam Ecclesiasticam, seu quolibet Sacramentum Ecclesiasticum, ut puta Chryisma, vel Oleum sanctum, & consecrationes altarium vel Ecclesiarum, interveniente execrabili ardore avaritiæ, per pecuniam acquisit; honore male acquisito carcat, & emptor atque venditor, & interuenor notè infamia percellantur: & nec pro pastu, nec obtentu alicuius consuetudinis, ante, vel post, aliquid exigatur, vel ipse dare presumat; quoniam simoniacum est; libere absque diminutione aliqua, collata sibi dignitate atque Beneficio persuat*. Sic Canon: pro quo & est alius Alexandri Tertij in Cap. *de Matoribus*, de Præbendis. Et Gregorij item Noni in Cap. *Cum causam*, eod. tit. Et alius *ibidem* eiusdem Innocentij in Cap. *Vacante*. sunt etiam & Constitutiones Pij Quarti, & Pij Quinti specialius de resignatione loquentes, de quibus passim Auctores, ac præsertim Nauarrus in *Consiliis de simonia*.

61 Quia verò, cum Beneficium est pinguis, aliquid posse refundi non sit improbabile iuxta dicta: in obligatione prædicta emendi suppellectilem non videtur esse maior difficultas; sed certè minor apparet, quia nulla species emptio nis & venditionis respectu ipsius Beneficij dispicitur. Et quidem adducti Canones circa hoc non videntur vrgere, quia cum Episcopis loquuntur, ne scilicet Beneficia cum diminutione conferant, & ne accipientes quidquam pro collatione retribuant: quorum nihil in casu, de quo agimus, reperitur. Constitutiones autem Pij Quarti, & Pij Quinti damnare tantum & punire pactiones, quæ ante illas editas erant illicitæ, tradit Nauarrus *Consilio 33. de Simonia*, ad ea se referens, quæ habet in *Manuali Cap. 23. num. 109*. Et idem videtur dicendum de qualibet alia obligatione rei pretio æstimabilis

Casus alius de obligatione emendi suppellectilem.

Cap. ut notatum, ut Ecclesiastica

Cap. Si quis Præbendam, 1. q. 3.

Alij Canones pro eodem.

Circa emptio nem suppellectilem resolutio ex probabili doctrina iam posita.

Constitutiones Pij IV. & Pij V. novam non inducere obligationem.

æstimabilis conferendæ: stare enim potest, si Beneficium, quod permutatur, ita abundans sit, ut iactura, quam commutans patitur, aliquid eo pacto videatur compensari. Quod autem de titulo sustentationis ex Nauarro dicebatur, in permutatione non videtur habere locum, quia cum resignans suum Beneficium, aliud accipiat, non potest proventibus alterius ad sustentationem indigere. Quod in Beneficiis Indiarum maxime habet verum: satis enim per Regiam providentiam omnibus Beneficiariis, in ordine ad prædictum effectum, qui primus dicitur, prouidetur. Pro quibus non plura.

CAPVT VI.

Circa Dispensationes quid Capitulum vacante Sede possit in Indiis, & quæ inde pericula Conscientiis Capitularium immineant.

Generalis Afferio circa Capituli potestatem, quæ generalis.

Quid in Indiis speciale.

Circa dispensationes Episcoporum directas variis sententia.

62 Circa potestatem dispensandi, an & quomodo Capitulo convenire possit in iis, quæ Episcopis absolute licent, variæ moueri possunt quæstiones, de quibus Diana *Parte 8. Tract. 4.* Et nulla certè extat, in qua probabiliter non concedatur illi, quod ad Episcopi spectat potestatem, etiam si Delegato Sedis Apostolicæ tribuantur: ut paucis resoluit Dom. Machadus *Tomo 2. pag. 159. num. 3. & 4.* Licet ergo illi omnia, quæ expressè prohibita non inveniuntur: unde & Capitulum Sede vacante in Indiis eodem poterit iure cadere: & illo specialiter ut possit dispensare in casibus Pontificiis, quando non est facilis recursus ad Pontificem: in Indiis enim numquam facilis est recursus, ut manifestè constat; etiam ubi littora propinquiora: semper enim nauigationis incertæ; & ut abire sit facile, redire difficile est; vel è contra: & non sunt Christianæ conscientiæ inter grauiorum periculorum fluctus relinquendæ. Videat citatus Auctor *Resolut. 9.* qui ita asserit potest Merollam.

63 Potest tamen ulterius inquiri, an Capitulum possit exequi dispensationes, quæ à Sede Apostolica ad Episcopum diriguntur, sicut & alia rescripta. Quam difficultatem ex professo non tractauit præfatus Auctor, licet aliam ipsi congruam discussisset *Resolut. 66.* an scilicet Vicarius Capituli, Sede vacante, possit exequi dispensationes directas Vicario generali Episcopi: & in fine illius tandem attigit illam, respondens negatiuè cum Nicolao Garcia *Parte 6. Cap. 2. num. 46.* & circa hoc quidem maior videtur esse Doctorum consensus, quam circa difficultatem priorè, in qua multi Doctores sunt, qui pro Vicariis Capituli stent, ut non minus quoad hoc possint, quam Vicarij Episcoporum, ut videri apud eundem Auctorem potest, & eos, quos ille adducit: quibus addendi Ochagauia, Basilius Legionensis, & alij, quos idem adducit *Parte 5. Tract. 14. Resolut. 29.* Pro Capitulo autem, ut expedire possit rescripta Episcopo directæ, stare videtur Naldus in *Decretales. Cap. Ad abolendam, de hæreticis*, quatenus id tribuit Vicario Capituli, pro quo & citat Garciam *suprà*: cuius opinionem *Theauri Indici Tom. II.*

improbabilem esse censet Diana *Resolut. 66. citata. s. Vltimo* & probat, nam causæ delegatæ, Episcopo mortuo, non possunt expediri per ipsum Capitulum; quia non succedit in iurisdictione Episcopali delegatæ, sed tantum in ordinariâ, quod à se probatum ait *suprà*; videlicet *Resolut. 2.* ergo neque poterunt expediri per Vicarium Capitularem, quia in hunc non transit maior potestas, quam sit in ipso Capitulo.

64 Sed miror Auctorem dictum ita sentire, si ad Capitulum id velit extendere. Nam ipse citata *Resolut. 2.* Auctores adducit, qui iurisdictionem delegatam in Capitulum transire censent, ex quibus Machadus non solum id probabilis reputat, sed ex generali regulâ de tranflatâ Ordinariâ iurisdictione in Capitulum per certam consequentiam deduci. Et Diana ipse cum vtramque sententiam referat, nihil circa quæstionem determinat. Ex eo ergo fundamento, quod scilicet iurisdictione delegata non transeat, nequit improbabilitas Assertionis contrariæ fundari: cum & ipsa probabilis sit, & id, de quo differimus, vnum generalis illius iurisdictionis membrum sit; iurisdictione inquam delegata in ordine ad particularem effectum. Itaque cum pro fundamento constituitur id, quod sub opinione est; id quod ex contraria opinione colligitur, ut pars in toto contenta, nequit ut improbabile concludamur. Et ita quod à prædicto Auctore dictum, non est in sensu isto accipiendum, sed iuxta Naldi philosophandi modum: qui cum teneat rescripta ad Vicarium absolute dictum directæ, sine expressione Episcopi, sed solum diocesis, ut si dicatur *Officiale, seu Vicario Segouienti*, non posse per Vicarium Capituli, Sede vacante, expediri; ait tamen, quæ diriguntur Episcopo mortuo, à prædicto expediri posse: sic enim fiet ut maior in eo potestas sit, quam in Capitulo ipso, cui talis non competit iurisdictione. Sed neque hoc modo improbabilitas ea sententia dici potest: quia dum conceditur à Vicario fieri talem executionem posse, non negatur etiam id Capitulo convenire, quod saltem ante Vicarij electionem exequi talia rescripta potuit: transmissâ autem in Vicarium iurisdictione, non debet maior illius potestas dici, quandoquidem dependenter ab illo habet, qui & amoueri ob iustas causas potest. Præterquam quod non est improbabile, totam Capituli auctoritatem ita transire in Vicarium, ut in eo tantum resideat: pro quo videndus Idem *Resolut. 63.* ubi Doctores adducit asserentes iurisdictionem Vicarij non haberi à Capitulo eam tradente, sed à lege, mediâ electione: & ita omnem Capituli auctoritatem in Vicarium transire, nullâ ei parte specialiter reseruatâ, sunt qui teneant; vt videri apud eundem potest *Resolut. 64.*

65 Cum ergo probabile sit, quod de Capitulo diximus, id in Indiis maxime locum habere, & maiori in illis cum probabilitate procedit: quia si fortè Episcopus mortuus sit, executio per longum tempus extraheretur; quod equidem sine graui inconuenienti stare nequit, ut est comperitum. Poterit ergo in hoc sine scrupulo procedi: immò conuenientia executionis Litterarum Apostolicarum talis esse potest, ut graue in non exequendo esse peccatum possit; cum securæ queant conscientia damna vitari, quibus negli-

Non posse à Vicariis Capituli, & oppositum improbabile censet. Diana.

Sed ex eiusdem doctrina contrarium eum dicitur.

Naldi philosophandi modus improbat.

Sed non probabilis.

Sicut nisi improbabile est totam Capituli auctoritatem in Vicarium transire, & haberi à lege.

In Indiis maxime locum habere resolutionem de Capitulo potestiam.

Ex stylo Curia diffinita, cui fit facta.

Vi ille obliget.

D. Solorz.

Affertio 1. posse Capitulum in Indiis dispensare quoad Ordines & Beneficia, sicut Episcopi possunt.

Et quoad Interstitia intra annum.

Decretum Concilij non procedere de primâ Tonsurâ.

giture contrarij. Quod autem de stylo Curia dicitur, iuxta quem relicta numquam remittuntur Vicario Capituli, eod quod eidem non fidatur, sed aut Episcopo viciniori, aut eius Vicario; non debet resolutioni propositâ vllatenus obstare, quia commissiones illæ non remittuntur, nisi à quibus facile possunt expediri; cum tamen in Indiis peculiaris ratio occurrat, de quâ dictum. Præterquam quod stylus non videtur penitus obligare, vnde ex opinione aliâs probabili contra illum iri potest: vt circa genus quoddam dispensationis graues Doctores tradunt, qui videri possunt apud Dianam Parte 1. Tractat. 10. Resol. 39. & generaliter apud eundem Parte 1. Tractat. 5. Resol. 1. §. Vnde ego, quamplures Auctores affirmant stylum Romanæ Curia tantum obligare in foro interiori, & in sententiâ, quam sequitur, probabilitatem alterius. Videatur etiam Tractat. 6. Resol. 44. vbi plures alios citat: & Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 4. Cap. 5. num. 21. dum de stylo Cancellariæ agit, qui antiquus sit; bene ait non esse ab eo temere recedendum, quod & alij citati ab eodem aduertunt, quando autem ratio magni momenti est, qualis ea, de quâ dictum, non est vlla in eo non obseruato temeritas; cum iuxta æquitatis, immo & iustitiæ, ad quam spectat multoties dispensatio, regulas procedatur. His præiacis, circa alia

66. Dico primò. Quidquid circa dispensationes pro Ordinibus suscipiendis, & Beneficiis, Episcopi Indiari possunt, Capitulo, Sede vacante, licet. Talia sunt dispensatio circa Interstitia, & cum illegitimis quoad Ordines minores, & Beneficium simplex. Sic Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 13. num. 12. & 13. & in Politicâ Lib. 4. Cap. 13. pag. 602. Col. 1. cum Dom. Feliciano à Vega in Cap. 4. de Indicijs. §. de adulterijs, num. 52. & 53. ex quibus Diana Parte 8. Tractat. 4. Resol. 5. & 6. & iuxta Dom. Solorzanum numer. 14. & 15. & in Politicâ Col. 2. alioque; dispensatio quoad interstitia nequit intra annum à die vacantis Sedis concedi: quia cum concessio Dimissorium sit à Concilio Tridentino prohibita Sessio 7. Cap. 23. de Reformat. etiam illa, quæ sunt præparatio ad Ordines debent prohibita censeri. Quæ tamen ratio non vrget: nam ad præparatoria, quæ coniuncta sunt cum ipsâ Ordinû executione bene quidem argui possent ex Ordinum prohibitione: ad illa verò, quæ præcedere diu possunt non est legitimum argumentum. Et huiusmodi sunt dispensationes Interstitiorum, quæ concedi possunt vt apto tempore deseruiant. Et quidem cum lex odiosa & pœnalis sit, ad ea, quæ in ipsâ non exprimuntur, minimè debet extendi, iuxta sapius dicta. Præterquam quod Capitulum vacantis Sedis potest Dimissorias concedere electis & præsentatis ad Beneficia Curata, vt generaliter in Indiis accidit, sicut alijs ad Ordinum susceptionem arctatis, vt Declarauit Sacra Concilij Congregatio circa Cap. 10. Sessio 7. in quo id expressum. Et videri etiam potest Diana Resol. 41. Tunc ergo licebit dispensatio Interstitiorum. Et idem est dicendum de dispensatione cum illegitimis. Vbi & illud est speciale, ex Declaratione eiusdem Sacræ Congregationis semel & iterum haberi, Decretum dictum non esse de primâ Tonsurâ intelligendum. Cui Diana contrarium

sentiens Resol. 43. §. Ad Declarationem, ex Nicolo Garcia respondet id intelligi quoad pœnas in eo contentas. Quæ responsio non satisfacit, nam Declaratio sic habet: Congregatio censuit Textum hunc non comprehendere primam Tonsuram. Cum ergo hoc probabile sit, poterit Capitulum cum illegitimis intra annum dispensare ad Beneficium simplex, cum Tonsurâ pariter conferendum. An autem illa Ordo sit, quod citato loco Diana tractat, à me est Tomo 2. Theologorum Problematum disputatum.

67. Potest etiam Capitulum cum illegitimis in Indiis ad Ordines Sacros, & Beneficia Curata Indorum dispensare, iuxta id, quod in Bullis Pij V. & Gregorij XIII. conceditur; quarum tenorem videre est apud Dom. Solorzanum supra, Cap. 20. num. 27. & 31. qui num. 39. id quod Episcopis concessum est ad Capitula extendendum tradit, sicut & in Politicâ Lib. 4. Cap. 20. §. Y auu ay: ex eâ ratione quod Episcopis succedant in omnibus, quæ ipsorum iurisdictionem concernunt, pro quo Auctores adducit in terminis proprijs loquentes, & ad ea se refert, quæ circa hoc dixerat, scilicet Lib. 3. Cap. 13. num. 4. & seq. & Lib. 4. Politicæ, Cap. 13. vbi de iurisdictione delegatâ id negauerat, & ea tantum concesserat, quæ ex Iure communi competunt, & sunt in eorum officio radicata. Licet autem ea, de quâ agimus, ex Communi iure non descendat, in eorum tamen officio radicata dici potest, quia cum officio venit, neque pro illâ specialis est alia commissio necessaria. Ex quo colligunt Doctores, quos adducit Diana Resol. 18. Capitulum succedere in iurisdictione, quæ habetur ex consuetudine, quia est accessoria ordinariâ: & accessorium ex consuetudine comparatum, qualitate ac naturam sortitur principalis. Cum ergo iurisdictione ex priuilegio perpetuo veniens, accessoria sit, vt naturam principalis sortita, in Capitulum transfertur.

68. Quamuis autem prædictæ Bullæ extent, circa dispensationes virtute earum videtur D. Solorz. aliquantulû hære, eod quod sine earum notitiâ multi ordinati sunt, & Beneficia parochialia consecuti. Et quia illas non extendi ad irregularitates alias, præter illas, quæ ex delicto proueniunt, viri docti arbitrantur, ex quibus Dom. Felicianus à Vega supra, num. 109. Quod & tenet Dom. Villaroel Quæst. 9. Artic. 5. numer. 44. Sed certè quod ad Bullam Gregorij attinet, manifestum est de illegitimis loqui, cum id verbis expressis habeatur respondentibus postulato. Vnde ex eâ parte nihil est, in quo, si loquamur de Ordinibus, hære debeamus. Aliunde autem difficultas esse potest ex eo scilicet quod penuria Ministrorum idioma Indicum callentium, tanta afferatur, vt illis communiter verbum Dei per interpretes annuntietur, nec possint suis Parochijs Indi confiteri. Quod equidem aliquando sic accidit, sed iam Ministrorum copia est Indici idiomatis peritorum. Et illorum copiam non post multos extitisse annos ab expeditis præfatis Bullis, agnoscat Concilium Limentense tertium Art. 2. Cap. 33. Anno videlicet 1583. Quod si in nouis aliquibus conuersionibus nouum idioma reperitur, illius profectò nullus est peritus ex iis, qui nati in Indijs, vnde & omnibus est pro illo addiscendo pariter

Declaratio Carlin.

Possit etiam ad Ordines Sacros & Beneficia Curata Indorum Capitulum dispensare.

Sicut in ipsa, quæ ex consuetudine habentur.

Bullæ Pij V. & Greg. XIII. an locus iam sit.

Ex copia iam Ministrorum difficultas.

Circa dispellitur.

Sufficere finalem causâ aliquam, licet extra-re, vt priuilegium loci habeat.

Congruum exemplum.

In usu Priuilegij vt peccari grauius possit, Messizos præsertim promouendo ad Sacros Ordines, &c.

Per leges Regias à publicis muneribus arcentur.

pariter laborandum. Sed hoc non videtur vrgeri. Nam Pontificia gratia non solum pro tempore illo extraordinariâ penuriâ postulata est, sed pro temporibus etiam futuris, in quibus perspicuum erat copiam Ministrorum futuram: numquam tamen tantam, vt prædicti non possent, si Ordines & Beneficia suscipere, maximum adiuuentum ad Indorum conuersionem, & promotionem in fide, ac Christianis moribus exhibere. Constat hoc ibi: Nunc, & pro tempore existentibus, & ibi: Verbum ipsum maximum suscipere incrementum, ac saluti animarum Indorum prædictorum plurimum consulum foret. Ex quibus apparet finalem causam concessionis nunc etiam locum habere, & futuris semper temporibus habituram. Cum tamen vt priuilegium valeat, sufficiens sit causam motiuam aliquid perferre, vt est grauium scriptorum sententia, pro quâ videri possunt P. Thomas Sancius Lib. 8. de Matrimoz. Disputat. 30. numer. 8. vbi cum alijs reliquis causis permanere sufficiens esse ait P. Palus Tomo 1. Tractat. 3. Disp. 4. Puncto 15. num. 7. Vbi congruum exemplum apponit in Religione, cui ob Regularem obseruantiam, & fructum in proximis, concessum est priuilegium non decimandi: eo enim gaudet, etiam ab illa perfectione desuevit ob reliquias remanentes. Et exemplum hoc deductum est ex P. Suario Lib. 8. de Legibus, Cap. 30. circa quod philosophatur P. Arriaga Tomo 2. in 1. 2. Disput. 34. num. 10. & seq. vbi & alia adducit, bene concludens non penitus cessare in illis causam finalem. P. Sa verb. Gratia, num. 24. & alij, quos refert & sequitur Dom. Felicianus supra, num. 127. & vitus post hæc scripta Dom. Reyna Tomo 1. de Perfecto Prælatu, Lib. 6. Tract. 2. Cap. 8.

69. Potest autem in Priuilegij prædicti usu grauius peccari, & id Sede vacante, frequentius euenire, ex eo quod in suâ Bullâ Gregorius exigit, dum sic ait: Si alijs idonei, & iuxta Decreta Concilij Tridentini qualificati fuerint, & dictum Idioma loqui & intelligere sciverint; super quibus conscientiam vestram omeramus. Sic ille. Pro quo videntur, quæ diximus Titulo 13. num. 65. & quidem si de his loquamur, qui ex Indijs & Europæis mixtim progeniti sunt, quos vulgo Messizos dicimus, paucissimi hucusque inuenti sunt, qui eâ morum maturitate, & vitæ candore præfulserint, vt iis valuerit tutò ministerium Parochiale committi: maternus enim sanguis ad vitia pronus, & paternus incontinentiâ originis vitiat, quid nisi vitiosam referant pronitatem, vt merito de Zoilis istis dicere possimus, quod aliâs Martialis, rem magnam facturos, si boni sint. Et verò homines isti per leges Regias ab officijs Tabellionum, & publicis alijs arcentur; nec nisi speciali dispensatione ad eadem admittuntur, vt videri potest apud Dom. Solorzanum Lib. 1. Cap. 28. num. 36. & 37. & in Politicâ Lib. 2. Cap. 30. pag. 247. in principio. Quomodo ergo ad sacros Ordines, & Pastoralium curam, omnium diuinorum diuinitissimam, iuxta D. Dionysij, vulgatissimum effatum, sine aliquo diuinæ gratiæ miraculo, quod quidem debeat ab iis, ad quos id spectat, diligenti explorari examine, idonei esse possint, coram Deo & hominibus bona suo genuina muneri prouidentes? Iuxta quod Regij etiam Concilij Indiarum prouidentia aduigilauit, dum per plures Schedulas,

quæ extant Tomo 1. impressarum, pag. 172. & sequentibus, & Tomo 4. pag. 344. cauetur ne tales ad Sacros admittantur Ordines, & ne promotis Beneficia Curata, etiam Indorum, conferri possint: pro quibus & Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 20. num. 4. & seq. & in Politicâ Lib. 4. Cap. 20. Illud ergo præclarum monitum Concilij Limentensis tertij Art. 2. Cap. 33. præ oculis habendum: ne Prælati eo prætextu quod Ecclesie laborant inopiâ Ministrorum, indignos ad sacris functiones vocent: quia longè certe melius Dei Ecclesie & saluti Neophytorum conuulitur paucitate electorum Sacerdotum, quam multitudine imperitorum.

70. Iam de Priuilegio ad Beneficia Curata loquendo, est quidem aliquod dubitandi fundamentum: nam Gregorius in suâ Bullâ id expressè non concedit, & Pius de irregularitatibus ex delicto prouenientibus loquitur, vt ex tenore constat, ibi: Quasumque personas à delictis, per quæ irregularitas contrahitur, homicidio voluntario extra Bellum commisso, ac simonia labe dumtaxat exceptâ, &c. ad obtinenda & obtenta Beneficia Ecclesiastica, & officia quæcumque, &c. Sed certè fundamentum hoc non est sufficiens, vt amplissimum priuilegium restringere debeamus. Et Gregorius quidem id non obscure suâ in concessione significat, ex cuius tenore constat motum ad illam, ex eo quod penuriâ sacerdotum existente, fieret ex eo communitè verbum Dei cum interpretibus ipsis Indijs annuntiandum esse, ac Indi peccata sua confiteri non valent. Atqui Parochorum hoc proprium officium est, et si deficient Parochi ad prædicta idonei, non est Indorum saluti consultum, etiam si sacerdotes alij sint cum idoneitate prædicta, quia non sunt cogendi Indi ad illos extra sua oppida conquirendos: & si vocentur à Parochijs vt coadiutores adfent, omnia inconuenientia, quæ ex Parochiali curâ in illis timeri possunt, ex tali cohabitatione sequuntur: vnde sicut ab illa arcentur, ab ista debent pariter arceri: ex quo fit Indos sine remedio conuenienti remanere, & ita concessionem Pontificiam esse inutilem: quod constat dici non posse. Quæ inutilitas aliunde etiam colligi potest: ex eo scilicet quod si malè nati prædicti ad Titulum Indorum ordinari non possunt, alij tituli difficultè in illis inueniuntur, cum & Beneficiis simplicibus & patrimonio careant; vnde eorum raritate in statu sacerdotali inductâ, exiguum inde adiutorium potest Inais egentissimis expectari.

71. De Bullâ autem Pij V. loqui eodem modo possumus, quia magnum in illâ apparet veritatis propositæ fundamentum, quamuis D. Felicianus illud conetur infirmare, contra obnitente Dom. Reyna supra. In illâ enim Pontifex testatur à se concessam facultatem Fratribus Ordinum Mendicantium in Indijs degentibus, vt in certis casibus cum personis, quæ tam ex delicto, quam ex non delicto irregularitatem contraxissent, in eadem dispensarent. Ad quid autem hoc si Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis similem erat gratiam negaturus? Videretur equidem plus se Fratribus Ordinum dictorum fidere, quam iis, qui supremis illis dignitatibus eminentes, matorem debent erga Fideles sollicitudinem exhibere. Cum aliâs sententia grauium Doctorum sit, posse prædictos cum illegitimis sine spe-

Concilij Limentensis monitum salutare.

De Priuilegio quoad Curata, vnde difficultas etiam non valeat.

Submotetur illa ipsius amplissime demonstrata.

Greg. XIII.

De Bullâ Pij V. cuius etiam ostenditur amplitudo.